

**CONSELLO DA CULTURA GALEGA
GALLAECIAE MONUMENTA HISTORICA**

755

1187/01/11.

O presbítero Paio Pérez “Bianes” dóalle ó mosteiro de Toxos Outos as súas porcións na igrexa de Sta. Mariña de Xuño; fai a doazón cando pensa marchar a Xerusalén.

B.- Tombo, f. 186v.

Carta de VIII^a integra Sancte Marine de Junio.

In Dei nomine. Ego Pelagius Petri, presbiter, dictus BIANES, pro Dei amore et sancte Marie semper uirginis et sancti Justi \et/ amore omnium sanctorum Dei \et/ pro anima mea et pro animabus omnium parentum meorum facio cartam donationis et scripturam testamenti imperpetuum ualitaram de mea porcione quam habeo de mea auolencia in ecclesia Sancte Marine de de Junio ad monasterium Sancti Iusti et uobis domno abba Petro eiusdem monasterii et omnibus fratribus presentibus et futuris ibi Deo seruientibus; et est ipsa ecclesia in territorio Pistomarchos sub castro Burleo iuxta fluum Syaria. Dono siquidem uobis et concedo imperpetuum meos quiniones quos habeo de mea auolencia in supradicta ecclesia in una VIII^a integra de tota ipsa ecclesia quam dedit abba Sisulfo per scripturam a Vimara Palatinci et ad suum germanum Asberne Palatinci, meos auolos, sicut in sua carta resonat. De ipsa VIII^a dono uobis medietatem quam habeo pro mea auolencia et de alia medietate duas partes quas habeo de ganancia de meis parentibus sicut resonat in suas scripturas quas uobis dono; alios uero quiniones habeo in ipsa ecclesia de alia auolencia de domno Petro, preposito, que non diuiditur, habeant semper clerici qui de ipsa auolencia fuerint. Illos autem alios quiniones qui sunt de auolencia matris mee dono uobis eos cum tota sua uoce et directura que ad ipsa ecclesia pertinet intus et foris per suos terminos antiquos. Et quia modo Domino Deo aspirante Ierusalem pergo relinquo uobis supradictos quiniones ut iam dixi, et si illuc obiero orate pro me et pro meis parentibus ut simus particeps in beneficiis uestris, et si uiuus uenero recipiatis me in uestro ordino cum quanto habuero quia ego in uestras manus sic promitto, Deo me adiuuante. Quod si homo de mea parte uel de extranea, et cetera, contra hoc uenerit sit maledictus et excommunicatus, et cetera, et insuper pariat solidos D, et cetera.

Facta carta testamenti era I^a CC^a XX^a V^a et quotum III^o idus ianuarii.

Ego Pelagius, presbiter, dictus BIANES, in hac scriptura, et cetera.

Q. p. f.: Johannes, ts. Petrus, ts. Pelagius, ts. Fernandus Sancii de Iales, conf. Petrus Farina de Noya, conf. Pelagius Caluus de Molina, conf. Ego Fernandus, presbiter de Nogia, conf. Ego Munio, presbiter de Sancto Iuliano, conf. Didacus, presbiter, conf.

Munio, presbiter, qui notuit.